



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

104. De obitu S. Vvilfridi Apo. Frisiae. Epitome Chronologica vitae ipsius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

DISSERTATIO CIV.

De obitu S. Wilfridi Apostoli Frisiae. Epitome
Chronologica vitae ipsius.

B Wilfridus Apostolicę vitę paradigma postquam quatuor annis Hagustaldensem Ecclesiam gubernasset, turbidum mundi mare emensus æternę quietis ad portum applicans, nauem oprato in littore collocavit. Id incidisse in annum 705. legitur apud Miręum, quod nescio an non imputandum Typographis procliuibus errare in notis numeralibus; nam apud neminem alium illud inuenio, nec computus V. Bedę patitur. Fran: Godwinus Pseudoepiscopus Landauensis contigisse anno 711. fundamentum nullum proferens. Molanus aliquotque alij anno 709. Solidior est annus 708. idque ex iplo Beda prout ex textibus ipsius, quibus acta Wilfridi persequitur, collatis patet. Nec censendi sunt differre aut multum differre qui annu 709. ponunt: nam sepe aut alium modum inchoandi & terminandi annum præ oculis habent, aut inchoatos pro absolutis sumunt & contra. Ac in adeo parua differentia non est mathematicę præcisum quid definire, quodque parum distat, non distare videtur.

Vt autem genuinus emortalis annus simulque cursus vitę S. Antistitis clare cernantur, enarrabo acta eius epitomicę chronologicę. meretur hoc de nobis vir laudabilis, qui in conuertendis rigidis frigidisque Frisijs nostro Willibrordo glaciem fregit, quique S. Willibrordi nutritor, imo Abbas fuit in Rhipensi conuentu.

Anno 633. nascitur Wilfridus & quantum colligere
datur

datur in regno Northumbrię ex quo S. Willibrordus, Swibertus, Beda pluresque sanctitate conspicui prodierunt.

Anno 647. anno etatis 14. apud Lindisfarnum traditur monastica pietate & litteris imbuendus, non tamen professione fit Monachus.

Anno 651. cum esset annorum octodecim Romam visendi desiderio accensus, à Rege Cantuariorum datur in comitatu Benedicti post Wiresium Abbatis eandem cogitantis. Sed in Gallijs à Dalphino Archiepiscopo Lugdunensi iuuenis proba indole recreato aliquantum detinetur. post iter propositum explens Romę rationem Paschalis Cycli & computum Ecclesiasticum edocetur.

Reuersus in Franciam adhæsit S. Dalphino annis tribus usque dum Nanthildis (alias Bathildis) Reginae furijs S. Antistes trucidaretur.

Inde in Angliam reuersus à Rege Northumbrorum benigne exceptus donatur mansione in Ripis in qua circa annum 664. constructo monasterio presbyter ordinatur.

Anno 664. Episcopus Northumbrorum estelectus cum esset annorum circiter triginta, vt loquitur Beda, id est annorum 31.

Renuens consecrationem accipere à Scotis Episcopis in Galliam profectus ab eius Episcopis consecrationem adipiscitur. Dum domum remeat, inuenit quadam factione in suam sedem intrusum Ceaddam. Quare cogitur tribus annis in Ripensi suo Cœnobio hærere; interim per diuersa loca sacerdotalia & Episcopalia officia petentibus Regibus & populis exequens.

Anno 669. per Theodorum Archiepiscopum Cantuariensium deposito Ceadda Northumbrorum cathedram occupat.

Anno 678. post 9. annorum sessionem eius prosperis successibus inuidentium conatu Episcopatu pulsus dum Gallias meditatatur, flante Fauonio euitatis multis insidijs in via positus in Frisiam ad Adgillum Radbodi patrem peruenit, apud quem Idololatriæ prædicando hyemem exegit, fæliciter inchoans quod Sanctus Willibrordus fælicissimè perfecit.

Anno 679. Romam venit coram Agathone Papa causam dicturus, in qua præualet.

Anno 680. iubetur confidere in Concilio plurimorum Episcoporum Romæ contra Monothelitas coacto.

Anno 681. in Angliam reuersus tantum abfuit vt iuxta iussionem Pontificis restitueretur, quin post perpeffos carceres patria cedere compulsus in Westsaxoniam profugerit. Nec ibi à persequentibus omnino tutus. Nihilominus tam Australibus quam Occidentalibus Saxonibus gentilibus per annos 5. Christi Euangelium prædicare, Monasteria construere eorum Regibus percharus.

Anno 687. annitente Theodoro Archiepiscopo Cantuariorum antea infesto recuperat Northumbriæ Episcopatū anno 2. Alfridi Regis.

Anno 692. tertio expulsus Alfrido Rege in deterius mutato ad Regem Merciorum profugus inter eos Legecestræsem Diocœsim administrat, simul Mediterraneis Anglis Episcopalia & sacerdotalia officia impendens per annos decem prouincialibus amandus iuxta & reuerendus, plurima machinamenta Rege Alfrido & Bretuualdo Archiepiscopo, qui Theodoro successerat, in Wilfridum struentibus, & deterentibus.

Anno 696. Romam vadit & ibi cum S. Will. est familiaris.

Anno 702. Septuagenarius vltimò Alpina iuga superans pro sui defensione Romam venit sub Iohanne Papa a-

apud

puerum quem de aduersarijs triumphat.

Anno 703. Britanniam repetens Meldis cuitate Franciæ infirmitate pressus visione sanatur Angelica.

Anno 704. in Angliam reuersus non statim ad sedem suscipitur ob Alfridi Regis pertinaciam.

Anno 705. Alfrido mortuo adlaborante Elfreda Abbatisa eius sorore donatur cathedrâ Hagulstaldensi & Rhipēsis Cœnobij possessione.

Anno 708. postquam quatuor ferme annis Hagustaldenses gubernasset in cælestem patriam demigravit longanimis patientiæ coronam non vnâ percepturus, humato corpore apud Ripenses. Plures post annos Ripis Cœnobio destructo, Cantiam delatus Wilfridus inter præcipuos habetur, inter primicerios honoratur inquit Malmesburienfis. In Hagustaldensi ei succenturiatus est V. Acca de quo actum supra. In Eboraco, defuncto Iohanne qui Sancti viri dignitatē diu occupauerat, successit Wilfrid. alter qui iuxta Malmesburiensem Bedæ superuixit. Quocirca (ait idē) lis inextricabilis inter Cantuarienses & Eboracenses versatur: quod dicant Cantuarienses se Wilfridum seniore habere, contra Eboracenses contendant hunc minore ab Archiepiscopo Odone Cantiam translatum. Ita identitas vocabuli confusionum & litium semper est occasio. Hæc ad gloriam B. Antistitis Frisiorum plurimumque gentium Apostoli ex V. Beda Malmesb. alijsque Historijs Anglicanis.

DISSERT -